

I. N. D. N. I. C.

# EXERCITATIO THEOLOGICA

*In DICTUM  
LEVIT. XVII, II.*

*Quia anima carnis in sanguine est,  
Ego dedi eum vobis super altare ad expian-  
dum super animabus vestris: Quia hic sanguis est,  
per animam expiabit.*

Quam

DOMINO ADJUVANTE

PRÆSIDE

DN. ISAAC OFAUSTIO,

SS. Theolog. D. Ejusdemque Prof. P. Ord. & Se-  
niore, Conventus Ecclesiastici Præside, & Capituli  
Thomani Præposito,

*In alma ARGENTORATENSIVM Universitate  
publicè defendet*

M. JOHANNES DANIEL GERBER

Argentinensis

*Dic. 3. Mens. Maji A. O. R. M. DC. XCVIII.  
horis locoque consuetis.*

Coll. diss. A  
165, 48

ARGENTORATI,  
Literis JOHANNIS PASTORII.

SLUB  
Sächsische Landesbibliothek –  
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

# VIRIS

*Amplissimis, Prudentissimo, Excellentissimo, Experientissimis, plurimum Reverendis, Nobilissimis & quacunq;  
Munerum atq; virtutum Dignitate Spectatissimis.*

DN. PHILIPPO ALBERTO WESNERO. Inlyti Collegij Quindecimvir. Assessori prudentissimo, Patrono, Fautori atque Cognato summè devenerando.

DN. MARCO MAPPO. Medicinæ Doct. & Prof. Publico celeberrimo, Capituli Thomani Canonico meritissimo, Patrono atque Fautori multis nominibus venerando.

DN. M. JOH. THEOBALDO HEINRICI. Templ. Thoman. Pastori fidelissimo, Capituli Thomani Canonico Seniori meritissimo, Patrono, Fautori atque Cognato parentis loco venerando.

DN. SAMUELIS SILBERADIO. Pastori Templi Palæopetr. vigilantissimo, & optimè merito, Fautori piè devenerando.

DN. ANDREÆ LEMPIO, Pharmacopœo felicissimo, ut & Inclyt. hujus Reip. Ordinis Senatorij Assessori dignissimo, Patrono maximè colendo.

DN. DOMINICO RING. Pastori Templ. Aurel. vigilantissimo, Capituli Thomani Canonico meritissimo, Fautori atque Cognato æstimando.

DN. JOH. JACOBO HEINRICI. Med. Doct. Experiensissimo, Practico felicissimo, Fautori atque Cognato omni observantia colendo.

DN. ADAMO SCHMIDIO. Ecclesiæ, quæ Christo colligitur in Eichholzheim / Pastori Fidelissimo, Fautori piè venerando

DN. CHRISTIANO ENGELHARDT. Mercatori Florentissimo, Evergetæ æstimatisimo.

DN. JOH. JACOBO EICHENEGGER. Mercatori industrio, Avunculo honoratissimo.

DNN, Patronis, Fautoribus, Mœcenatibus atque Cognatis submisæ venerandis, hanc Exercitationem Theologiam, in ulteriorem sui suorumque commendationem, humillima mente

*offerat ac dedicat*

M. Joh. Daniel Gerber, Resp.



A. Ω!

## Levit. XVII, II.

*Quia anima carnis in sanguine est, & Ego dedi eum vobis  
super altare ad expiandum super animabus vestris:  
quia hic sanguis est, per animam expiabit.*

Quæ hâc Disputatione proponuntur, TRIA sunt.

I. Textus Expositio: caro, sanguis §. 1. 3. in sanguine §. 4. Et  
§. 5. 6. Ego §. 7. dedi §. 8. 9. illum §. 10. vobis §. 11. super al-  
tare §. 12. 13. ad expiandum §. 14. animas vestras §. 15. Quia §.  
16. טבנְפָר §. 17. 18. 19. 20. קְרֵבֶת §. 21. 22. 23. 24. II. è Textu  
exposito FINIS, sacrificiorum declaratur. §. 25. 26. 27. 28. 29. 30.  
31. 32. III. Ex eodem Textu exposito, derivantur Theses §. 33.  
34. 35. 36.

## §. I.



Disputatio præcedens, scripta in hoc o-  
raculum sacræ Scripturæ, habuit de Digni-  
tate, atq; Authoritate memorabilis sen-  
tentiaæ hujus. Aliquam etiam Versus istius  
partitionem proposuit. Adhæc Versiones ex-  
hibuit complures. Sed consumta illa fuit  
in expendendis commentationibus Augu-  
stini, pluribus in locis. Tandem ex Eu-  
sebio de Demonstr. Ev. caput allegavit, ex quo etiam de origine  
sacrificiorum, eorumque Ratione vicaria, aliquid dictum est. Est  
ergo adhuc exponenda simplex Dicti hujus sententia. Accidit  
bene, quod Peteximus Dn. M. Respondens noster, excitatæ in-  
dustriae Juvenis, Disputatorium Exercitium peteret, quo suos in  
Studio Theologico profectus publicè probaret, eosq;, suscipien-  
do muneri Concionatorio sufficienes. Faxit DEUS sua Gratia,  
quam in JESU CHRISTO revelavit orbi, ut firmante, dirigen-  
teque nos SPIRITUS SANCTI ductu, progrediamur feliciter!

§. II. Vulgatus Latinus vertit: *Quia anima carnis in san-*

A

guine

guine est: & ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit. Conveniunt, quod prima verba attinet, etiam versiones reliquæ. Græca vero mutavit, & pro: *In sanguine est*, posuit: αἷμα ἀντεῖσται, sanguis ejus est, ubi etiam ἀντεῖσται, genere differt à præcedente, ψυχὴ, & οὐρανός. In Hebreo, בְשָׂר haben He emphaticum præfixum, sequens בְּרִמָה habet illud extusum. Versio Tremelliana habet: *cujusq; carnis.* Demonstrandi vis in illa loquendi ratione apud Hebreos est. Demonstratur caro, demonstratur sanguis, q. d. Anima hujus carnis in hoc sanguine est.

§. III. Buxtorf. de Abbreviat. p. 13. בְּשָׂר id est, אָדָם Homo caro & sanguis. Et p. 20. Homo caro & sanguis, Homo carnalis & mortalis. Pro אָדָם quandog dicunt שָׂרֵב. Et p. 50. בְּשָׂר וְדָם Caro & sanguis, Homo carnalis, terrenus, & mortalis. Et p. 127. טָהָר מֶלֶךְ בְּשָׂר וְדָם Rex caro & sanguis, carnalis, mortalis, qui sic solet opponi Regi immortali, DEO. Et in Lex. Talmud. col. 329. בְּשָׂר וְדָם Caro & sanguis, id est, Homo ex hu constans. Non tollitut hac loquendi ratione, nobilior hominis pars, eaque altera, quæ Anima est, vel Spiritus, Eccles. XII, 7. Et si sanguis, vehiculum vel fides etiam est animæ hominis, non tamen ipsa anima est. Qui, ratione pari, pecoris animam sanguinem, esse dicit, ubi à visibili comprehenditur etiam invisible, cum sanguinem videat oculus, animam mens intelligat, non est necesse ut dicatur, substantiam animæ & sanguinis intellexisse eandem. Accedit autem ratio illa loquenti ad Scripturæ stylum. Psalm. LVI, 5. *In DEO laudabo verbum ejus, in DEO confisus sum, non timebo, quid faciet בְּשָׂר CARO mihi?* Et vers. 11, 12. *IN DEO laudabo verbum, in IEHOVAH laudabo verbum.* In DEO confisus sum, non timebo, quid faciet אָדָם HOMO mihi. Ita Homo, Cato est. Magnum hoc est impotentia, & fragilitatis argumentum. Psalm. CXLVI, 4. *Exibit spiritus ejus, revertetur in humum suum.* Oppositio inter Regem mortalem, & immortalem, facta per phrasim, caro & sanguis, ex Apostolo ita declaratur. I. Tim. I, 17. βαπτισμὸς ἀφθάρτω, Regi incorruptibili, soli sapienti DEO. Sed οὐ φθορά, corruptio, I. Cor. XV, 50. vel τὸ φθαρτὸν, hoc corruptibile, verl. 53. est οὐρανὸς καὶ αἷμα, caro & sanguis, vers. 50. Verti antea Psalm. CXLVI, 4. *in humum suum:*  
quia

quia est in Hebreo לְאַדְמָתִי & præcesserat verl. 3. de filio אָדָם ho-  
minis. Est ergo אָדָם humus hominis. Homo ex humo.  
Homo humus,

§. IV. Retinemus autem primam, simplicemque signifi-  
cationem particulæ, IN. Anima est in sanguine. Differt anima  
pecoris à sanguine pecoris. Genes. VI, 17. Me autem quod attinet,  
ecce, ego adducam diluvium aquarum super terram ad perdendum  
omnem CARNEM, IN QVA SPIRITVS VITARVM est à sub-cœlo:  
omne, quod in terra est, expirabit. Differunt caro, & spiritus vi-  
tarum, qui est IN carne. Et Spiritus vitarum non est vita ipsa, sed  
est vitarum spiritus. Genes. VII, 21. Unde expiravit omnis caro, re-  
pens super terra, quoad avem, & quoad bestiam, & quoad feram, &  
quoad omnem reptile, repens super terra: & omni homo. vers. 22. Omnes  
IN cuius naribus flatus Spiritus vitarum &c. Flatus spiritus vitarum  
IN naribus. Differunt ompia, & nares, & flatus, & spiritus.  
& vita. Genes. I, 21. Ita creavit DEVS certos magnos, & omnem ANI-  
MAM VIVENTEM &c. Et vers. 24. Post dixit DEVS, producat terra  
נֶפֶשׁ חיה animam viventem. Ita &c de homine, Gen. II, 7. Et fa-  
ctus est homo נֶפֶשׁ חיה in ANIMAM VIVENTEM. Ut ergo  
spiritus, qui est in carne, non est caro ipsa, ita nec anima, quæ est  
in sanguine, non est ipse per essentiam & substantiam sanguis.  
Apud Polumin Synopt. Critic. col. 527. Anima est in sanguine,  
puta, tanquam in sede sua. Et præcipue è sanguine pender; sine ipso  
enim perit animal, ut ignis ellychnii sine oleo &c. Anima etiam hu-  
mana potissimum sanguinis presentia in corpore continetur &c. D. O-  
siander in Levit. fol. 151. Quia anima carnis IN sanguine ipsa,  
sive cujuscunque carnis IN sanguine est, sive anima animalis vel vita  
animantis IN sanguine sedem habet, IN ILLO consistit & conservatur,  
ut, qui vescitur sanguine, quodammodo videatur crudeliter velle ipsam a-  
nimam vel vitam animantis unâ cum corpore deglutire &c.

§. V. Sequitur: ET EGO. Alia versio, ego autem. Alia,  
Ego vero. Alia, ideo dedi. Quæritur, Vav hoc, copulativum ne sit,  
an illativum? Malumus illativum esse, ut sensus sit; Atque ideo  
ego dedi eum vobis &c. Ita Joh. IV, 24. Deus est spiritus, ET ador-  
rantes EVM in spiritu & veritate oportet adorare. Illud, ET, illa-  
tivum est, argumentativum, consecutivum. Quia DEUS est Spi-  
ritus,

ritus, inde atque ideo oportet eos, qui adorant DEVVM SPIRITVM,  
adorare in spiritu & veritate. 2. Tim. III, 16. Omnis Scriptura divi-  
nitu*m* inspirata est, ET Vtlu &c. Ab inspiratione divina est illa utili-  
tas, quæ hominem Dei ad omne opus bonum perficit, ut docere,  
redarguere, dehortari, adhortari, consolari sufficienter possit.  
Sensus ergo est: Tota Scriptura est dicitur dicitur, divinitus inspirata,  
divina inspiratione scripta, atque INDE & IDEO utilis &c. Con-  
feratur Glassius Philol. sacr. Lib. 4. tract. 1. p. 689. vel 877. num.  
6. ubi conjunctionem *vav* etiam conclusivam esse afferit, vertitq;  
per ITA QVE. Notata sunt ibi Loca alia & plura.

§. VI. Ratio hujus Assertionis ex Textu ipso hæc est. Prior  
hujus versus pars duabus propositionibus constat, quæ conne-  
ctuntur per *Vav*, cœi particulam copulativam. Sed istæ duæ pro-  
positiones conjunguntur in unam propositionem parte versus po-  
steriore. Ea conjunctio ita fit, ut ea doceatur, rationem eam,  
quam propositio prior habet, subordinatam esse rationi ei, quam  
habet propositio posterior. Deus, respiciens ad id, quod dixerat,  
dedit sanguinem super altari &c. Et, Ego, hoc respiciens, quod  
anima carnis in sanguine est, dedi illum sanguinem super altare,  
ad expiandum animas. Posterior pars versus incipit, à causalí  
¶ Quia; uti pars prior à versus initio incepérat ab eadem particu-  
la causalí, ¶ Quia. Ratio utrobique una est eademque. In pri-  
ore parte est exposita uberioris propositionibus duabus, in parte po-  
steriore in propositionem unam contracta est. Dixeritque nemo,  
in parte versus posteriore, duas rationes, easque pares, eius san-  
guinis interdicti, contineri.

§. VII. Et Ego. Majestatis divinæ vox est. Ego, qui sum  
IEHOVAH DEUS TUUS. Ita cum daret Legem, Exod. XX,  
2. Ego sum IEHOVAH DEVS tuus, qui eduxi te è terra Ægypti &c. Et  
initium XVII, 2, Levit. est: Porro locutus est IEHOVAH ad Mosen,  
dicendo: Loquere ad Aharonem, & ad filios eius, & ad OMNES FILIOS  
ISRAELIS, & dic ad eos: Hoc est verbum, quod PRÆcepit IEHOVAH  
&c. Reverentia, cum Timore divini numinis, hac voce incussa  
fuit omnibus filiis Israel. Qui præcipiendi omne jus habebat,  
loquebatur ad eos, qui omnem in omnibus debebant obedien-

tiam,

tiam. Cujus ergo est, dare super altare, ad expiandum animas? Respondetur, Ejus, qui dicit, *VENI aq, EGO.* Expiatio animarum, Altaris constitutio ad expiationem, datio sacrificij super altare ad expiandum animas, SOLIUS est DEI. Præceperat de Altari extuendo DOMINUS. Præceperat de expiatione, facienda per sacrificia super altari oblata, qua expiabantur animæ, & condonabantur peccata, & DEUS iratus, & commotus, placabatur, ut quiesceret.

§. IIX. DEDI. Ordinantis, constituentis, sancientis, imperantis, donantis, terminos ponentis limitesque, copiose & gratiouse & liberaliter, pro benignitate & bonitate sua largientis, vox est. Genes. I, 29. Præterea dixit DEVS: Ecce DEDI vobis omnem herbam &c. IX, 3.. Sicut olus terræ, DEDI vobis omnia. Psalm. CXLVIII, §. 6. Laudare Nomen IEHOVÆ, quia Ille præcepit, & creatas sunt. Et statuit ea in perpetuum, in æternum: statutum DEDIT, quod non transibit. Dedit statutum DEUS de sanguine, quod nemini licebat transgredi. Apparet hinc Libertas, Sapientia, Bonitas, Clementia, Majestas DANTIS. Non licet sumere homini, quod non est datum cœlitus. Cultus divini constitutio, DATIO IEHOVÆ est. Et Joh. III, 16. Sic dilexit DEVS mundum, ut Filium suum unigenitum *edidisset*, DEDERIT &c. Dederit autem ut crucigeretur, offerretque in corpore suo super ligno peccata nostra. Qui DEDIT sanguinem pecudum super altare ad expiationem animarum, idem DATURUS erat Filium unigenitum, qui in cruce expiaret peccata totius mundi.

§. IX. Placet itaque huc referre ea, quæ Flacius habet, Clav. Script. S. col. IIII. voce, SANGUIS. Observetur illud NOBILE Dictum, Levit. XVII, II. Ego dedi vobis sanguinem super altare, ad expiandum animas vestras: sanguis enim animas expiat. Et Hebr. IX, 22. Omnia fere secundum Legem sanguine purificantur, &c, absque sanguinis effusione non fit remissio peccatorum. Ordinatio sane DEI justa est, ut inobedientia seu PECCATVM MORTE puniatur. Sed nullius Creatura mors, inobedientia aut peccato aequivalet; multò minus illud superare, aut plene expiare potest. Quare peccatores peccati magnitudine victi, & satisfactionis aequivalentia destituti, in PERFETVA MORTE, veluti perpetuo solvendo injuriam,

eterno Creatori ac Domino illatum harent. ORDINATIONE tamen DEI, SUBSTITUTÆ sunt hostie brutorum animalium; quæ SVA quadam RATIONE pro peccatis offerri, & peccata hominum expiare, dictæ visæq; sunt: non, quod illæ id ulla ratione verè præstiterint; sed, quod significaverint illum unicum Agnum, qui VERE SVO SANGVINE ac Passione peccata mundi abstulit, plenissimeq; EXPIAVIT.

§. X. ILLVM, vel, Eum, sc. sanguinem. Scilicet, vel maxime, quamvis non solum. Nam victimæ toti manus fuere impositæ. Quædam sacrificia comburebantur integra. Ita habemus per sanguinem Filij Dei remissionem peccatorum, sed etiam ἐν τῷ σώμαν αὐλῇ, incorpore suo peccata nostra super ligno expiavit. In Sacrae Cœnæ constitutione dixit: CORPVS meum, quod pro vobis DATVR. Et; SANGVIS meus, qui pro vobis EFFUNDITVR in remissionem peccatorum, DEDIT ANIMAM suam, pretium redemptionis pro multis, Matth. XX, 28. Est autem illud, μέχεις αἷματος, Hebr. XII, 4. Sanguine effuso, mors consummata est,

§. XI. VOBIS. Scilicet, filiis Israel, etiam peregrinis, inter vos commorantibus, & quicunque vobiscum DEUM Israelis colere atque adorare voluerint. Ordinatio est populum Israel, habitantem in terra sua, & Politiam Mosaicam durantem, respiciens. Non fuit ergo perpetua Lex, non erat perpetuò duratura. Uti non erat Politia Mosaica perpetuò duratura, Filij Israel, in duodecim Tribus distributi, non erant perpetuò cohabitaturi, & Terra promissa, Patria erat futura MESSIAE. Hoc nato, promissionis ratio cessavit.

§. XII. SUPER ALTARE. Hoc unum erat, modo divinitus præcepto factum, loco divinitus constituto positum. Hoc altare erat JEHOVÆ. Hoc DOMINUS pro suo Altari agnoscebat. Super hoc altaris sanguis oblatæ victimæ spargendus erat, De hoc Altari dixit DOMINUS in verbis antecedentibus. Vers. 5. Ut adducant filij Israel sacrificia sua IEHOVÆ, ad ostium Tentorij Conventus, ad Sacerdotem. Vers. 6. SPARGATQVE Sacerdos sanguinem יהוה בְּנֵי לְעַל SUPER ALTARE IEHOVÆ ad ostium Tentorij Conventus; offeratq; adipem in ODOREM QUIETATIONIS IEHOVÆ, vers. 7. Statutum aeternitatis erit hoc illud IN GENERATIONIBVS eorum.

eorum. Ad generationes ergo Israelitarum pertinebat. Et hæc nota est Legis desituaræ, non futuræ perpetuæ. De hac sparsione sanguinis super altare, Leviticus statim ab initio dixit, I, 5. Deinde mactarifaciet filium bovis coram IEHOVAH, & adferent filii Aharoni, sacerdotes, SANGVINEM, SPARGENTq; sanguinem AD ALTA-RE circumcirca, quod est ad ostium Tabernaculi Conventus. Conf. I, II. 15. III, 2. S. 13. Levit. IV, 5. Tum accipiet Sacerdos unctus de SAN-  
GVINE juvenci, adducetq; ad Tentorium Conventus, vers. 6. Vbi in-  
tinget Sacerdos digitum suum in sanguinem, & ASPERGET de sanguini  
ne septem vicibus ante IEHOVAM, versus VELAMEN SANCTI. vers. 7.  
Insuper dabit Sacerdos de sanguine super CORNVA ALTARIS SVFFI-  
MENTI AROMATVM coram IEHOVAH, quod est in tentorio conven-  
tus: OMNEM autem (reliquum) sanguinem juvenci effundet ad FVN-  
DAMENTVM ALTARIS holocausti, quod est ad ostium tentorij Conven-  
tus. Uti hæc dicta sunt de sacrificio pro peccato Sacerdotis uncti,  
ita hæc repetuntur vers. 16. 17. 18. de sacrificio pro peccato Cœtus  
totius. Solennissima sanguinis sparsio, in Die Propitiationis fa-  
cienda, describitur Levit. XVI, 14. 15. 16. 17. 18. 19.

§. XIII. Nicolaus de Lyra in Lev. XVII, 11. Et ego dedi il-  
lum vobis. *Qui a sanguis animalium immolatorum pro peccatis filiorum*  
*Israel partim ponebatur SUPER altare holocausti, & partim effunde-*  
*batur ad basim ejus, ut frequenter dictum est supra.* De Sanguinis  
sparsione, habet Lexicon Rabbin, Philolog. Joh. Henrici Otho-  
niis p. 554. 555. & de sparsione sanguinis sacrificii pro peccato,  
p. 560.

§. XIV. AD EXPIANDVM. כְּפָר. Construitur hoc loco  
cum Nomine mediante Præpositione הַי. Quæ ratio construendi  
hoc verbum cum Nomine, frequentissima est, ut cumulare loca,  
quæ plurima sunt. non sit necesse. Hac ratione loquendi expri-  
mitur objectum expiandum. Ita mox ab initio Levit. I, 4. Impos-  
net autem manum suam super caput holocausti: tum cum beneplacito ac-  
cipietur pro ipso, AD EXPIANDVM IPSVM, וְלֹא כְּפָר ad expian-  
dum super ipso. Ex beneplacito DOMINI hæc siebat expiatio.  
Levit. IV, ult. sic expiabit ipsum וְלֹא כְּפָר Sacerdos, à PECCATO  
ipsius, quod peccavit, & condonabiturei. Expiatio ergo hæc siebat  
cum confessione offerentium, qui peccata sua confitebantur, &  
impo-

imponebant ea capiti immolandæ victimæ, cui imponebant manus, & cum fide promissionis divinæ, quam Gratia Dei ritui huic sacrificiæ adjunxerat. Fiebat ita, ut mera DEI gratia, beneplacitum DEI, hanc expiationem ordinaverit, peccata consitentis condonaverit, offerentem in Gratiam receperit. Expiatio, peccatorum condonatio, in gratiam receptio, conjunguntur.

§. XV. *ANIMAS VESTRAS.* Summum exprimitur, ut inferiora intelligantur comprehensa. Potuisset dici *לִילֵי יְהוָה*, ad expiandum vos. Et verum est, totum hominem in gratiam recipi, offerentem expiari, condonari ei peccata. Verum huic loquendi rationi rationes subsunt. Anima rea constituitur per Peccatum. Mors peccati stipendum est. Morti fit obnoxia anima per peccatum. Hæc alia, à morte corporis, mors est. Matth. X., 28. JESUS ad discipulos suos loquitur: *Quin etiam ne timete vobis ab iis, qui occidere CORPVS possunt, ANIMAM vero occidere non possunt! Timete vero potius Eum, qui potest ET CORPVS, ET ANIMAM perdere in gehenna.* Offerens ergo, cujus anima erat expianda, perditionis in gehenna reus erat, qua perdendum & corpus fuit, & anima. Fatebantur ergo fideles, se reos esse mortis & temporalis, & æternæ. Tum vero è Contextu hæc ratio est. Dixerat ab initio versus: *Quia anima carnis &c.* Dicitur ergo, ad expiandum *animas vestras*. *Quia anima, quæ erat in sanguine, sanguine dato super altare, dabatur ad expiandum, hinc dicitur, non, ad expiandum vos, neque, ad expiandum sanguinem vestrum, neque, ad expiandum carnem vestram, sed ad expiandas animas vestras.*

§. XVI. Hic vero Accentus distinctivus, *Atnach*, in Hebræo ponitur. Unde apparet, Versionem Latinam, quæ Colon habet, post verba: *Quia anima carni in sanguine est*, deinde vero simplex comma ponit post verba, *pro animabus vestris*, non eandem, quæ in Hebræo est, habere distinctionem, neque esse ex Hebræo expressam. Adhæc, post comma, Versio habet: *ET sanguis, quum sit in Hebræo Textu Particula causalis, י Quia.* Si verba retinenda sunt, foret dicendum: *Quia sanguis est, per animam paculum erit*, scilicet, animarum vestiarum. Pagninus ad Hebræa verba reddidit: *Quia sanguis ipse.* Sed non bene addidit, nullo etiam commate interveniente, *animam expiabit.* Ad Hebraum proprius:

propius: Quia sanguis ipse, scilicet, est, per animam expiat. Sanguis expiat, quia à Deo datus est super altari ad expiandum, sed expiat per animam, de qua ideo dictum est, animam carnis esse in sanguine.

§. XVII. Res ergo eò delabitur, quem sensum habeat, quod in Hebræo dicitur, שׁנָה, quod est, IN ANIMA. An sit intelligenda anima offerentis expianda, an verò anima carnis expians? Hic verò consulendus usus est Scripturæ sacræ. Concordantiæ Hebraicæ illum ostendunt ad oculum. Objectum expiandum cum verbo כְפָר vel nudè conjungitur in Casu Accusativo, vel mediante Accusativi Nota, Particula נָה, vel intercedente Præpositione בְּגַע quæ satis frequens est, vel interiecta Præpositione בְּיַ. Et hæc, uti supra dictum, frequentissimè usurpata Constructio est.

§. XIX. Contrà verò, quando vel Nomen, vel Pronomen, construitur cum verbo כְפָר intercedente particula Beth semper significabit Medium expians, in Locis quidem istis, quos ex Concordantiis allego. Jacobus de Esavo, Genes. XXXII, 20. Placabo (expiabo, per expiationem peccati, quo Esavus me in eum peccavisse existimat, ob quod vehementer mihi iratus fuit, ut mortem fuerit minatus, ex commoto reddam quietum, ex irato & sævituro, faciam placatum & parcentem) facies ejus בְּמִנְחָה munere (Hebr. IN MVNERE) eunte ante me. Vulgat. Placabo illum muneribus quæ præcedunt. Pagnin. munere, quod me antecedit. Munus illud, medium fuit expians, placans, non objectum expiandum, placandum. Exod. XXIX, 32. Comedet q[ui] Aharon, & filij ejus, carnem arietis, & panem in corbe, ad ostium tentorij conventus. Vers. 33. Comedent enim ea כְפָר בְּהָמָן quibus expiatio facta &c. Græc. εν οἷς ἡμίαδησιν εν αὐλοῖς. Uti in priore Geneseos loco, εν λοις δύρωις. De Medio Expiationis, de re expiante, sine dubio locus conceptus est. Levit. VII, 7. Quale enim Peccatum (Sacrificium pro Peccato) talis etiam Reatus (Sacrificium pro reatu) unde una Lex illis. Sacerdotis, qui expiabit PER ILLUD, (Hebr. בְּ IN EO) erit illud. Ita Schmidtius. Græc. εν αὐλῷ. Num. V, 8 hic locus meretur notari, qui utramque Præpositionem, & בְּ & בְּיַ cum Verbo כְפָר habet constructam, cum hac manifesta significationum differentia, ut בְּ indicet Medium expians, hostiam expian-

tem, **בְּ** verò Objecum expiandum, hominem. Verba sunt: *Præter arietem expiationum* אֲשֶׁר יִכְפֵּר בָּו עַל־זֶה quo (ariete expiationum) *expiabit eum.* Græc. auget: οὐδὲ ἐξιλάσσεται ὅτε ἀντίθετος εἰναι. 2. Samuel. XXI, 3. Dixit David ad Gibeonitas: *Quid faciam vobis?* וְכֹמָה אַכְפֵּר PER QVID satisfaciam, &c. Ita Schmidtius. Ad verbum: Et in quo, vel, in qua te expiabo. Græc. εἰ τίνι ἐξιλάσσεται. Vulg. quod erit vestri piaculum. Pagn. & quo expiabo. Proverb. XVI, 6. PER MISERICORDIAM (בְּחַסְדֵּךְ) & veritatem expiatur iniquitas. Ita Schmidtius iterum. Etaj. XXVII, 9. Quare PER HOC (בְּזַאת) expiabitur iniquitas Iacobi. Schmidtius ita. Quæ simplicissima Versio est.

§. XIX. Itaque & in nostro Textu, בְּנֵת שֶׁ יִכְפֵּר vertimus, PER ANIMAM EXPIABIT. Facit autem pro hac versione, phrasis hujus perpetuus usus, qui § præcedente satis manifestè & prolixè ostentus est. Facit adhæc pro ea, facilitas sensus, & cohærentiæ connexionisve simplicitas. Sensus facilis est: Quia sanguis ipse per animam expiabit. Connexio est & cohærentia hæc. Anima est in sanguine. Hic sanguis datus ideo est ad expiandum. Ergo, sanguis hic, qui ad expiandum datus est, & ad expiandum animas, per animam, quæ est in sanguine, expiabit.

§. XX. Biblia Hebræa, Lipsiæ impressa, cum Versione Latina interlineari, ita vertunt: *Quia anima carnis in sanguine ipsa, (in margine pro, ipsa, ponitur, est) & ego dedi eum vobis super altare, ad expiandum super animas vestras: quia sanguis ipse in anima expiabit.* (in marg. pro, in anima, ponitur, animam.) Simplex verborum expositio, qua verbum verbo redditum est, accedente distinctione per commata & colon juxta rationem Hebræorum accentuum, uti simpliciorē exhibit totius versiculi sensum, ita cum expositione, quæ hactenus data est, proximè convenit. Et talē Versionem proposuit Franzius, Schol. sacrific. patriarch. Disp. 15. §. 24. ubi hæchabet: *In Bibliis regiis Benedicto Aria Montano procuratore editis, super Hebræa verba talis ponitur interlinearis Versio: Quia anima carnis in sanguine ipsa (ad marginem ponitur EST pro hoc ipsa) & ego dedi eum vobis, super altare ad expiandum super animas vestras, quia sanguis in anima (ad marginem animam) expiabit.* Eadem verba sunt, sed non distinctio eadem.

dem. Distinctio autem commoda, sensum genuinum facilius certiusque exhibet.

§. XXI. Hæc tamen Atiæ Montani versio verbo usâ est expiandi. Habet, ad expiandum. Deinde, expiabit. Etiam Vulgatus, ut expiatus. Deinde, propiaco fit. Sæpe alias in Levitico vertit per, rogabit. Ut Levit. IV, 26. rogabitque pro eo sacerdos &c. Pagnin. expiabit illum. Græc. ἐξιλάσται τοῖς ἀπλοῖς. Versio interlinearis prius allegata: & expiabit super eum. Levit. V, 18. Vulg. orabit pro eo. Pagnin. expiabit eum. Græca iterum: ἐξιλάσται τοῖς ἀπλοῖς. Versio interlinearis: & expiabit super eum. Habuit, quod observaret, notaretque circa hanc rem Franzius, Schol. sacrific. Disp. 15. § 53. Ait ibi: quanquam concedimus, sacerdotem ipsum in sacrificeationibus DEVM orasse pro sacrificantibus & pro peccatis eorum, quemadmodum vetus Interpres, seu potius paraphrastes idcirco dicendus, reddidit Lev. 4. & 5. tamen nec interpres vetus eodem modo reddere potuit Levit. XVII, 11. nec tolerari potest in rigido examine ista veteris interpretis paraphrasis super Lev. 4. & 5. Rationem Assertionis suæ adjungit, quæ ibi legi potest. Cettum est, aliud esse, expiare, aliud, orare, rogare. Sacerdos rogans, orans expiavit, sed non orando, rogandoque, sed sacrificando juxta ordinacionem divinam. Deus expiat, non orans, rogans, sed condonans, remittens, in gratiam recipiens. Sanguis expiavit, non rogando, orando, sed fusus, sparsusque super altare DOMINI, in typo, intercedente virtute meritoria sanguinis Messiae promissi.

§. XXII. Frantzius libr. cit. Disp. XV §. 35. non curiositate ductus, sed pia attentione Scripturæ sacræ phrasin veneratus, scripsit: TER eadem phrasis (expiabit eos Sacerdos, & remittetur eis) repetitur Levit. IV, 26. 31. 35. Et cap. V. vers. 6. 10. 13. 18. QVATER, expiabit illum Sacerdos à peccato ejus, & remittetur ei. Placet hæc loca exscripta oculis subjicere, unico simul intuitu consideranda. Præmittimus tamen Phrasin memorabilem Levit. I, 3. 4. Ad ostium tabernaculi Conventus adducet illud, IN BENEPLACITVM PRO ipso, (Hebr. וְעַד Vulg. ad placandum sibi. Pagnin. non bene, sponte sua. Et in marg. ad voluntatem suam. Non de voluntate hominis offerentis, sed de voluntate Dei, beneplacito suo in gratiam recipientis offerentem, acceptantis sacrificium, sermo est. Id quod vel id probat, quod

vers. 4 sequitur, וְנִרְצָה Versio interlin. & accepta erit ei. In margine, placabile erit pro eo.) coram IEHOVAH. Imponet autem manum suam super caput holocausti: tum cum BENEPLACITO ACCIPIETVR PRO IPSO, ad expiandum ipsum. Ita Schmidtius. Græc. Σεκτὸς ἀντί, ἐξιαύσουσαν μεὶ ἀντί. Est γὰρ benevolentia, gratia, favor, voluntas benevola & gratiosa, εὐδοκία, beneplacitum Dei. Est impositio manus, qua conjicit offerens peccata sua in caput victimæ, ma&gt;ndæ loco peccatoris. Est acceptatio hostiæ ex beneplacito, & gratia. Est expiatio hominis, facto propitio DEO, remissis peccatis. Emphatica omnia sunt. Et vers. 9. Schmidtius: igni um odoris quietationis IEHOVÆ, Vulg. suavem odorem Domino. Pagnin. Oblatio ignita odoris quietus Iehovæ. Græc. Συνάσσεται εὐωδίας Kveίω Versio interlin. ignitio (in margine, oblatio ignita) odoris quietus DOMINO. Sensus phraseos est expressus, & copiosius descriptus, Genes. VIII, 21. Et ODORATVS est IEHOVAH ODOREM QUIETIS, dixitq; ad cor suum; non addam maledicere amplius terræ propter hominem &c. Beneplacitum Domini, sacrificium acceptantis, ceu odorem suaveolentia, tollit maledictionem, affert benedictionem.

§. XXIII. Loca autem, §. præcedente à Franzio numerata, & indicata hæc sunt Levit. IV, 26, Atq; sic expiabit eum Sacerdos à peccato ipsius, condonabiturque illi. Vers. interlin. Et expiabit super eum Sacerdos à peccato ejus, & dimittetur ei. Vulgat. rogabitq; pro eo sacerdos, ET PRO peccato ejus, & dimittetur ei. In Hebreo est, וְנִתְנוּן quod est, à peccato ejus. Hæc phrasis non admittit verbum, rogarit, sed requirit verbum, expiabit. Ut habeat Textus: expiabit eum sacerdos à peccato ejus. Contractiū vers. 31. Ita expiabit eum sacerdos, & condonabitur illi. Sed diffusius vers. 35. Sic expiabit ipsum sacerdos, à peccato ipsius, QVOD PECCAVIT: condonabiturque ipse. Iterum: uti antea, Vulgatus: rogaritq; pro eo, ET PRO peccato ejus, & dimittetur ei. De verbo ad verbum: Et expiabit super eum sacerdos, super peccatum ejus, quod peccavit, & condonabitur ei.

§. XXIV. Levit. V, 6. Expiabit ipsum sacerdos à peccato ipsius. Uti antea Levit. IV, 26. Vulgat. orabitq; pro eo sacerdos ET PRO peccato ejus. Non est: Orabit PRO EO, sed, expiabit eum. Non,

& pro

& pro, ied, a. Lev. IV, 10. Ita expiabit eum Sacerdos A peccato ipsius quod peccavit; condonabiturq; illi. Iterum Vulgat. rogabitq; pro eo Sacerdos, ET PRO peccato ejus. Et vers. 13. Atq; ita expiabit eum Sacerdos super peccato ipsius, quod peccavit, condonabiturq; ipsi. Vulgat. ROGANS pro illo & EXPIANS. Multis omissis, conjungit verba duo: rogans, & expians. Et vers. 18. Et expiabit eum Sacerdos super errore ejus, quem erravit, ita ut non nosset: tum condonabitur illi. Vulgat. quiorabie pro eo, quia nesciens fecerit &c. Habent hæc loca de Expiatione, de peccato, de errore, de absolutione peccatoris à peccato quod peccavit, aberrantis ab errore quem erravit, de condonatione, de remissione, de propitiatione, ubi DEUS propitiatus dimittit peccatum.

§. XXV. Ita habuit hactenus Expositio Textus. Ea autem sic facta est, ut deduci inde possit tractatio Locorum Theologicorum plurimorum. Habet enim doctrinam Legis, revelantis peccata hominum, & iram DEI. Habet etiam doctrinam Evangelij, de Gratia DEI, confitentem, credentem, supplicantem recipientis in gratiam, à peccato absolvientis, justificantis, à morte liberantis, animam salvantis, idque omne facientis intuitu sacrificij unicè, ex se & per se, & plenè expiatotij, multitudine sacrificiorum legalium adumbrati, & præfigurati.

§. XXVI. Atque hinc patet, Quis FINIS fuerit sacrificiū legalium expiantium omnium? Sufficit oraculum unicum Rom. X, 4. Τέλος νόμου Χειρός, FINIS Legis est CHRISTVS ad iustitiam omni credenti. Qui finis est totius legis, etiam legis, de sacrificiis expiantibus, finis est. Huc referenda est Glossa interlinearis, cuius explicatio notari meretur. Ego dedi illum, explicat addens: Sanguinem Christi. Ad verba, super altare, scribit: Crucem in qua fusus est sanguis. Iterum, ad voceim, Sanguis, addit, Christi; ad, pro anima, sue quæ ab ipso plasmata & cum carne assumpta. Et Glossa ordinaria: Ut autem ostenderet, quantum debeamus esse invicem misericordes, quantum diligentes ostendit, quia pro expiacione nostra SANGVINEM SVVM fuderit, dicens: Ego dedi illum vobis, SANGVINEM scilicet CHRISTI.

§. XXVII. In hanc sententiam valde memorabiles sunt phrases, & descriptiones, quas usurpavit Eusebius, Demonstrat.

Evangel. Lib. I. cap. 10. f. m. 36. B. Proinde dum nulla praestantur, neq; major, neq; pretiosior, neq; Deo convenientior victima (καὶ πάντα τὸ κρέατον, ἀδὲ τὴ μίγα, καὶ Τίμιον, καὶ θεοπραπὲς σφόδραν) hominibus aderat: sacrificia interim ex animalibus, pro sua ipsorum vita redimenda, & quoddam quasi naturæ propriæ animarum premium (λύτρα τῆς ἑαυτῶν γενεᾶς, καὶ ἀντίτυχα τῆς δικαιᾶς φύσεως) ipsi Deo reddere illos convenienter oportebat.

§. XXIX. Placet sequentia Græca verba exscribere integra, ob efficaciam, quam habent penetrantem: ὡς καὶ ἔθραπτον οἱ πάλαι θεοφιλεῖς, σεμνόντι καὶ θεοφιλὲς καὶ μίγα ἵρειον ἥξειν ποτὲ εἰς ἀνθρώπους τῷ θεῖῳ πνεύματι πεσειληπότες, τὸ τῷ ΠΑΝΤΟΣ ΚΑΘΑΡΣΙΟΝ ΚΟΣΜΟΥ, τοῦτο τὰ σύμβολα Ιēsος δημιτελεῖν οὐλὲς Προφήτας ὅντας, καὶ τὸ μέλλον ἐσεῖδες πεπυμένες. Versio Latina sic habet: Sicut etiam DEI veteres amici & cultores faciebant, qui VENERABILEM quandam, DEOq; ACCEPTAM, & MAGNAM hostiam, venturam olim ad homines, DIVINO indicante SPIRITU, tanto ante didicerant, quæ TOTIVS MVNDI EXPIATIO existeret: cuius etiam SIGNA quædam & NOTAS ipsi interea obirent, atq; perficerent: quippe qui & PROPHETÆ essent, & ejus, quod futurum expectaretur FIGVRAM in se quandam ante gerentes. Vi verbi ultimi, quo usus est Eusebius, omnis piorum veterum sacrificialis actio, fuit πρεγνόποια, PRÆFIGURATIO sacrificii CHRISTI.

§. XXIX. Hoc sacrificio præsente, cessarunt meritū sacrificia priora, quæ σύμβολα, signa, notæ, figuræ, adumbrationes fuere. Pergit Eusebius: *Vbi autem, quod perfectum erat, (τὸ τέλεατον)* advenit, quemadmodum vaticinia Prophetarum predixerant, priora illa desierunt, & (*λέλυται παραχρῆμα διὰ τῆς τοῦ κρέατος καὶ αὐλαγῆς ἵρεψεγίας*) præstantiore verioreq; sacrificio illico sublata sunt. (Soluta sunt illicet per sacrificationem illius sacrificij, quod præstantius erat, & verum sacrificium. Verum sacrificium, in oppositione ad umbram, dicitur.) Hic autem fuit CHRISTVS DEI, is, de quo antiquitus, à primis usq; temporibus dictum est, quod ad homines esset venturus, atq; instar pecudis (ovis, περβάτως δικνον) pro TOTO GENERE HVMANO interficiendus. (*ὑπὲρ παῖδος τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους σφαγῆσεν δικ.*)

§. XXX. Allegat Eusebius Esaj. LIII, 7. & 4. 5. & 9. Et Jerem.

Jerem. XI, 19. Et Johan. I, 29, Repetit aliquoties epitheta, & phrases, quas prioribus thesibus, 27. 28. 29. vidimus. Emphaticè repetitur p. 37. A. Τὸ τὸ παντὸς κόσμου καθάρισιον, illud prototo mundo piaculum. Et, D. Τὸ τὸ κόσμου καθάρισιον, mundi piaculum. Vox ἀντίφυχος §. 27. emphatica est p. 37. A. dicitur: μάρτων ἀνθεπών αντίφυχον illud PRO ANIMA cunctorum hominum sacrificium. Et lit. D. Τὸ τὸ αὐμαρτωλῶν αντίφυχον, PRO PECCATORVM ANIMA PRETIVM. Quæ phrases deductæ sunt ex vi verborum Textus nostri: Ego dedi illum vobis super altare AD EXPIANDVM SUPER ANIMAS VESTRAS. Erat fundendus sanguis agni, qui expiaret totius populi animas, qui pretio sanguinis sui redimeret animas totius generis humani.

§. XXXI. Hinc factum est, ut sit destructum & Templo, & Sanctum Sanctorum, & ALTARE, super quo, sanguine victimarum sparso, expiabantur offerentium animæ. Euseb. Dem. Ev. Lib. VIII. p. m. 405. NON ALIAS quam POST adventum Salvatoris nostri IESV CHRISTI ad homines, quæ olim apud Iudeos dignitatem venerationemq; habebant, MONTESque SION & HIERUSALEM vocabantur, quæque in iis aedificia erant, TEMPLVM videlicet, & SANCTVM SANCTORVM, atq; Τὸ θυσιαστέον, ALTARE, atq; alia quæcumq; ibidem in DEI honorem dedicata fuerant, de medio sublata concausaq; sunt, εἰ μήσας ἀεθέντα στούλαται.

§. XXXII. Vedit ruinam desolationemque istam, Eusebius, oculis suis. Demonstr. Evang. Lib. VI. cap. 13. p. 273. D. Si quidquam nostra quoq; historia valet, nostris ipsorum temporibus, illam antiquitus celebratam SION junctis lobis à Romanis viris arari, OCVLIS NOSTRIS INSPEXIMVS, ( ὁφθαλμοῖς παρειλήφαμεν ) & ipsam Hierusalem, ὅπωροφυλακίς δίκαιη Σπολειφθέντη) instar pomorum custodiae desertæ, ad extremam redactam solitudinem.

§. XXXIII. Conjiciamus, quæ tacta sunt hactenus, in Theses quasdam concisas. Sacrificia expiabant peccatores offrentes. Finis primarius, à DEO intentus, ex ordinatione DEI obtainendus, & obtentus, expiatio illa fuit. Obtainendus, quia dicitur, Ego dedi לכפר AD EXPIANDVM. Obtentus, dicitur enim, יכפר EXPIABIT. Expiatio illa fuit ANIMARUM expiatio. Ergo, mortis etiam aeternæ sublatio.

## §. XXXIV.

§. XXXIV. Peccata iram DEI accendunt, merenturque ex ira DEI, mortem aeternam. Sacrificia, cum expiant, DEUM reconciliant, ut recuperetur  $\pi\gamma\tau\delta\alpha\kappa\alpha$ , gratia, bona DEI voluntas. Reconciliant autem, peccato remisso, quod iram accenderat. Atque sic sacrificia expiarunt A PECCATO, ut hoc fuerit CONDONATUM. Ita per sacrificia SATISFACTUM DEO est, ut acquiesceret. Erant odor quietationis JEHOVÆ. Succedebant sacrificia in locum offerentium, PRO his offerebantur, PROPTER peccata ipsorum mactabantur.

§. XXXV. Sacrificiorum oblatio, fuit realis EVANGELII prædicatio. Juge hoc fuit JUSTIFICATIONIS gratuitæ exercitium. Offerens, peccata agnoscebat & deflebat contritus, actuque ipso confessionem edebat, fidemque suam testabatur, quum manus imponebat victimæ, quam afferebat. PER IMPUTATIONEM hæc siebant. Victima offerenda, ferebat peccata offerentis imputata.

§. XXXVI. Sacrificia sua virtute id non præstabant, sed ex ordinatione Dei. Non virtute sua, alioqui non fuissent toutes repetenda. Cum ergo sint toutes repetita, ex ordinatione Dei typi fuere, præfigurantes, unicum, perfectumque sacrificium, quod nunquam esset repetendum. Summus Sacerdos noster est ἐλεημων καὶ μεστός, misericors & fidius, Hebr. II, 17. Miserebitur ille nostri ad aeternam vitam. Amen.

## COROLLARIUM.

NE vacent pagellæ, dilucidius exponitur Corollarium illud, quod in Disputatione, nuper habita, inter Quinque Secundum fuit. Verba istius hæc fuere: Versiculorum duorum 4. & 5. Actor. XIX. connexionem sensumque, ipse Lucas illustravit Evangelij VII, 29. Ante omnia Textus ipsa sunt proponendi. Actor. XIX, 4. *Dixit autem Paulus:* (Schmidtius: *Quare dixit illus Paulus.* Sensum hæc Versio expressit.) *Iohannes baptizavit* (ita Vulgatus, in Græco: Ἰωάννης βάπτισε, unde Pagn. *Iohannes quidem baptizavit*, ita etiam Schmidtius) *baptismos penitentiæ.*

pœnitentia populum, dicens: (Schmidt, baptismate pœnitentiae, populo dicens. In Græco, ἦτορ οὐδεὶς. Literam ergo hæc Versio expressit) In Eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum. (eis τὸν Χειρὸν Ἰησοῦ, IN CHRISTVM IESVM.) Versus 5. ita habet: ἀκούοντες δὲ ἐβαπτίζονται εἰς τὸ ὄντος τὸν Κυρίον Ἰησοῦν. Vulg. His auditis (Pagn. His igitur auditis) baptizati sunt in nomine Domini IESV. (Schmidtius, cum versum 4. finisset cum (:) quem Vulg. & Pagn. finierunt cum (.) sic expressit versum 5. Qui vero audiverunt, baptizati sunt in nomine DOMINI IESV. Beza, Qui vero illum audierunt.) Grotius scripsit: Nempe illi, ad quos Paulus loquebatur: sunt enim hæc Lucæ verba. Cornel. à Lapide: Hæc esse verba non Pauli, sed Lucæ, PLANE exposcit TOTA rei gestæ series, quæ historica est narratio, quod scilicet hi duodecim Ephesi baptizati baptismō Iohannis, AUDIENTES à Paulo baptismum Iohannis esse INSUFFICIENTEM, & complendum per baptismum Christi, eodem mox baptizati sint. Idem EVINCUNT sequentia vers. 6. Et cum imposuisset illis manus, venit Spiritus sanctus super eos. q. d. Baptizati sunt, & mox à Paulo confirmati acceperunt spiritum sanctum. Alioquin enim NVLLA erit horum Versuum CONNEXIO, sed erunt SCOPÆ DISSOLVTÆ. Hæc ibi Dixi autem: Lucam, & connexionem, & sensum illustravisse Evang. VII, 29. Ille ita habet: καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας, καὶ ὁ λελώπων, ἐδιηγήσαντον Θεόν, βαπτιζόντες τὸ βατόλισμα Ιωάννου. Et omnis POPVLVS, qui AUDIVIT, & publicani, justificaverunt DEVVM, BAPTIZATI baptismate Iohannis. Lucas Evangelium scripsit, & Acta. Quod Lucas ipse narratione historica exposuit VII, 29. id exponit, etiam PAULUM Apostolum, cuius assiduus comes fuit, docuisse. Patentes, cum duo hæc loca, Act. xix, 4. 5. & Luc. VII, 29. conferuntur. De populo uterque habet. Lucas: πᾶς ὁ λαὸς, omnis populus. Paulus: ἦτορ λέγων, populo dicens. Lucas dicit, populum audivisse. Quid vero audiverit, Paulus exponit. Docet enim, Iohannem populo dixisse, in eum, qui venturus erat post ipsum, ut crederent, hoc est, in Christum Jesum. Evangelium ergo docuit, quod est concio de Jesu Christo. Docuit pœnitentiam, in remissionem peccatorum. Docuit fidem in Agnum DEI, qui tollit peccata mundi. Baptismo, quem

C

cont.

conferebat, omnia, quæ docebat confirmabat. Lucas habet, & *omnis populus, ἀκούσας, cum audivisset.* De populo eodem Paulus Acto. XIX, 5. *ἀκούσαντες δὲ, cum vero audivissent,* scilicet, Johannem, talia prædicantem. At plurale est apud Paulum. Respondeo, Plurale de eodem populo jam præcesserat versu quarto, *īra misericordia, ut crederent.* Johannes populo dixit, *ut CREDERENT.* Unde apparet, utrobique cum auditu fuisse conjunctam fidem. Uti est fides ex auditu, Rom. X, 17. Uti habuit uterque de *populo, & de auditu, ita & de baptismo* eodem. Lucas: *βαπτιζόμενοι, baptizati.* Paulus, *βαπτιζόμενοι, baptizati sunt.* Quo baptismate? Lucas ait: *baptismate Iohannis.* Ergone in Nomen Domini JESU Joannes baptisavit? Utique. Qui docuit populum, ut crederent in Nomen JESU, is populum credentem in JESUM, baptisavit in JESUM. Inde Paulus: *Quum vero audivissent, scilicet, Joannem docentem, fidemque in JESUM ex auditu conceperint,* baptizati etiam sunt in Nomen Domini JESU. Est ergo *connexio aliqua, eaque satis perspicua, sensus etiam est facilis, & planus.* Non repugnat versus 6. Act. xix. Samaritani Acto. VIII, 12. audiverunt Philippum, prædicantem Evangelium, hoc eit, docente in de regno Dei, & de Nomine Iesu Christi, fidemque conceperunt, tūm vero baptisati sunt. Utique baptismō Christi. Ita Lucas Acto. VIII, 12. de Philippo ea retulit, quæ Paulum Act. xix, 4. 5. dixit retulisse. Itaque Act. xix, 6. sequitur: *καὶ ἐθέλοντο, & cum imposuisset &c.* Act. VIII, 17, *τότε ἐπείθου, tunc imponebant &c.* Locus prior: *Quare impone nente illis Paulo manus, venit spiritus sanctus super illos, ut loquerentur linguis, & prophetarent.* Alter: *Tunc imposuerunt manus super illos, acceperuntq; spiritum sanctum.* Advertamus. Dixitne Lucas Act. xix, 5. *ἀκούσαντες δὲ τὸν Παῦλον, vel etiam, ἀκούσαντες δὲ ἄντες,* cum vero audivissent Paulum, vel, cum vero audivissent eum? Nihil. Ergo λέγω vers. 4. & *ἀκούσαντες* vers. 5. relata sunt. Ipse Lucas hoc signo. scilicet vers. 6. τὸν Παῦλον, docuit, ad Paulum se redire, de quo in versus 4. initio dixerat,

F I N I S.

Coll. Diss. A 165, Blatt 48